

buit in matrimonio Agrippinam M. Agrippæ & Iulix filiam, & ex ea nouem liberos tulit: sed hæc iam de Germanici vita satis. Suetonium enim legere mihi Aimili per te poteris, qui de hoc alia quædam præclara refert, & si me amas, omnino leges. digna enim sunt huius optimi Cæsaris omnia gesta, ut legantur. Sed in Numismate illud animaduertendum, in posteriori parte: quod Germanicus non fuit Augustus, non enim successit in imperio post Octavianum Augustum. nec Germanicus Augustus unquam fuit dictus, apud quem summa Reipublicæ deferbatur. Nam Germanicus nunquam dominationem assumpsit, & si pertinacissimè in excessu Octauij Augusti, legiones recusantes Tyberium, Germanico deferre uellent. Solo itaque Imperatoris nomine decoratus fuit Germanicus, ut etiam Alciatus senior in annotationibus in Cor. Tacitum obseruauit, qui inter Cæsares, Imperatores, & Augustos multum interfuisse differit: hoc pacto, Cæsares dicti, qui Augustæ maiestatis hæredes designati essent, administratione rerum illis interdicta, nisi fortasse prouinciam, Augusti iussu, administrandam haberent. Hinc nulla eis donatiui militibus dandi facultas erat. In comitatu eos solum habebant, quos princeps tribuisset. Paulò maior imperatoris dignitas, qui licet infra Augusti fastigium positus, eiusque arbitrio bella gereret, summam tamen potestatem in magistratus, atque milites habebat, iusque illi indicendi belli erat. Hæc Alciatus ex Ammiano Lampridio, & constitutionibus, cuius rei idem in historia patriæ meminit. Quæ uolui dixisse, ut tibi constet Germanicum non uocatum fuisse Augustum, nisi concedamus illi fuisse hoc nomen ab Augusto Octauiano concessum, quia illum ualde Octavianus dilexerit, ut etiam diu cunctatus sit, an sibi successionem destinaret: ideo Tyberio adoptandum dederit. Verius igitur in numismate ego legerem, interpretarèrque quod illæ notæ, Cæsar Augustus Germanicus, Pontifex Maximus, Tribunus Plebis, ad Caium Caligulam ipsius Germanici filium, qui post defunctum Tyberium in imperio successerit, spectent: nam & ipse Germanicus uocatus fuit. Germanicus autem dictus ob Germaniam deuictam. uel quia primus ad exercitum, qui in Germania constiterat, imperator missus fuerit. Huic P. Ouidius Fastorum suorum libros consecrauit, ut ex his primis carminibus apparet,

*Accipe pacato Cæsar Germanice uultu
Hoc opus, & timida dirige nauis iter.*

Illud autem sciendum Septembrem mensẽ Caium Caligulam in memoriam patris Germanici, Germanicum appellasse. Festum autem morbo Germanicum adstantes amicos hunc in modum